



## The Holy See

---

PIUS PP. XILITTERAE APOSTOLICAE IAM INDE\* SANCTUARIUM A MATRE DOMINI, INTRA FINES  
ARCHIDIOECESIS SALERNITANE, TITULO BASILICAE MINORIS AUGETUR.

*Ad perpetuam rei memoriam.* — Iam inde a saeculo post Christum natum XII, intra fines archidioecesis Salernitanae, vetus exstat sanctuarium titulo a Matre Domini, in quo maxima christiani populi religione asservatur antiqua imago Virginis Deiparae foventis ulnis Infantem Iesum. Hoc per longam annorum seriem templum splendidi» artis operibus ornarunt Principes, Reges, proceres; idem indulgentiis privilegiisque quam pluribus Romani Pontifices Nostri decessores locupletarunt. Miraculis - quidem inclyta Virginis imago, Apostolica auctoritate et sollemini ritu, anno MDCCCLIX, diadematate aureo redimita fuit; ipsiusque sanctuarii custodia primum concredita est Fratribus Humiliatis, postea Basilianis monachis, tandem Fratribus Minoribus Ordinis Sancti Francisci, qui in praesens ibidem, sedulo studio, divino cultui inserviunt. Haec animo repetentes, ulti libenterque excipiendas censuimus esse humiles enixas que preces dilecti filii Callisti Zuccotti, Procuratoris Generalis Ordinis Minorum, qui Nos flagitaverat ut ipsum sanctuarium, ad quod quotannis turmatim confluunt piis peregrinationibus fideles innumeri, ad Basilicae gradum evehere dignaremur. Has enim preces cumulat etiam atque ornat amphissimum suffragium dilecti filii Orestis S. E. E. Presbyteri Cardinalis Giorgi, Minoritici Ordinis Protectoris, postulatoriis litteris communitum sacrorum Antistitum Salernitani, Nucerini, Cavensis et Sarnensis, nec non municipii Nuceriae Superioris. Quamobrem, auditio venerabili fratre Nostro Antonio S.R.E. Cardinali Vico, Episcopo Portuensi et Sanctae Rufinae, Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, apostolica Nostra auctoritate, praesentium vi perpetuumque in modum, vetustum et percelebre sanctuarium a Matre Domini appellatum, intra fines positum archidioecesis Salernitanae, nunc ad Ordinem Fratrum Minorum pertinens, titulo et dignitate Basilicae minoris cohonestamus, cum honorificentiis et insignibus conopaei, absque tamen auri argentine ornatu, tintinnabuli et stemmatis, iuxta formam Basilicarum minorum Almae huius Urbis.

Haec largimur, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectant sive spectare poterunt, nunc et in posterum amplissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc atque inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter vel ignoranter attentari contigerit. Non obstantibus contrariis

quibuscumque.

*Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis iunii, anno  
MDCCCCXXIII, Pontificatus Nostri secundo.*

P. CARD. GASPARRI, *a Secretis Status.*

---

A.A.S., vol. XIV (1923), n. 7, pp. 337-338

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana